



Georgius filius fuit Friderici Marchionis Br̄deburgensis atq; Burgrauj Norimbergenſis, & Sophiæ reginæ Poloniæ. nepos uerò Alberti Electoris, qui ob uirtutes Achilles Germanicus cognominabaſ. natus eſt autem anno 1546. Hic cum fratribus in omni genere uirtutis honeſtè educatus fuit. Adoleſcens uerò exiſtens ad Vladisiam regē Vngariæ auunculū ſuum ſe contulit, atq; apud Vngaros multa documenta ſuæ fortitudinis reliquit. Cum autem pater mortuus eſſet, domū redijt, atq; cum fratre Cazimiro optimo principe paternas regiones diuiſit. Eo tempore ipſe Onoltzbachij ſuā curiam habuit, atq; cum fratre ſumma cōcordia uixit. Erat Georgius eruditione & prudētia inſignis princeps, præterea religionis maximus obſeruator. Itaq; cum Lutheri doctrinam cognouiſſet, eandem publicè conſeſſus, iuxta ueteris & nouæ legis tenorem Eccleſias ſuas reformauit, atq; Saxonicam formulam recepit. Erat autem id eo tempore admodum periculofum, dum Cæſar & Imperij principes pontificis inſtinctu plurimū Euangelicis ob mutatam religionem iracerētur. ſubinde etiam in Imperij comitijs noua decreta contra eiufmodi fiebant, quibus Euangelici plurimū grauebantur. Itaq; cum Spiræ anno 1529 in comitijs denuò decreta talia fierent, Ioannes Saxonie Elector, Georgius Br̄deburgicus, Philippus Landgrauius, atq; Ernestus & Philippus Luneburgici publicè proteſtati ſunt, ſeſe huiufmodi decreta, quæ religionem attinerent, neq; ſuſcipere, neq; bona conſcientia exequi poſſe. id quod etiam per legatos Cæſari ſignificauerunt. Vnde etiam primò Proteſtantium nomen exortum. Cum autem ingens periculum inſtare uideretur, eodem anno primò Suabachij, poſtea Smalkaldiæ de fœdere agere nominati principes cœperunt, non aliquem ledendi, ſed ſe defendendi cauſa.